

tiones et facte sunt petitiones, que in alio medio folio presenti annexo continentur, pro quibus necessarium est expectare declarationem voluntatis predictorum dominorum regum.

Primo, quod quilibet ipsorum trium dominorum habere tractareque debeat et teneatur amicos aliorum et cuiuslibet eorum pro amicis et inimicos pro inimicis, prestando sibi contra tales inimicos subsidium, auxilium et iuvamen quodcumque possibile et per quemcumque sibi possibilem modum.

Item quod serenissimo domino rege Romanorum in Italiam veniente etiam serenissimus dominus rex Aragonum similiter venire teneatur et se cum ei reperire cum maritima classe valida et potenti.

Item quod de civitatibus et terris maritimis que nunc per Venetos possidentur, ipse serenissimus dominus rex Romanorum eidem serenissimo domino regi Aragonum complacebit, postquam eas obtinuerit vel aliquam earum, exceptis omnibus terris Dalmatie et Cloatie, que regno Ungarie applicentur et redantur indistincte.

Item quod serenissimus dominus rex Aragonum disponet de titulo regni Ungarie; qui titulus est unus ex illis quos sibi ascribit domina regina Sicilie, pro libito et secundum liberam voluntatem domini et ducis Mediolani dimittendo talem intitulationem vel non dimittendo atque eidem renuntiando vel non renuntiando secundum dispositionem et liberam ipsius domini et ducis voluntatem.

Item quod pro bono Christianitatis et s. matris ecclesie astringatur omnibus modis possibilibus sanctissimus dominus noster papa per ambos istos dominos reges ad veniendum ad concilium ut promisit.

Infrascripte sunt dubitationes exorte et petitiones facte super capitulis formatis pro praticanda intelligentia et confederatione inter serenissimum dominum regem Romanorum et serenissimum dominum regem Aragonum atque illustrissimum dominum et ducem Mediolani etc., pro quibus ordinatum est, quod reverendus dominus episcopus et dominus Andreas scribant serenissimis dominis suis et curent habere specificam et distinctam de passu in passum declarationem voluntatis eorum.

Circa primum capitulum reverendus dominus episcopus, legatus serenissimi domini regis Romanorum, petit primo: quod hec liga ultra generalitatem specialiter contra Venetos extendatur; petit etiam debere reservari summum pontificem, reges Anglie et Yspanie ita, quod non teneantur partes ipsas habere pro inimicis neque contra eos auxilium prebere. Per dominum autem Andream nomine serenissimi domini et regis Aragonum respondetur, quod circa istam reservationem non bene scit ex toto mentem domini regis sui; ideo eam excrutabitur. Sed ex adverso petit ipse dominus Andreas, in isto primo capitulo debere expresse includi regnum Sicilie et Apulie ita, quod teneatur dominus rex Romanorum ipsi domino regi Aragonum auxilium et favorem